

tendit se duobus vinculis obstringi, nempe voto et juramento, utique remanet ligatus voto reservato; secus vero dicendum si quis voluerit se tantum vinculo juramenti obligare, volens ut suum propositum, seu promissio non obligatoria, per juramentum fieret irrevocabilis, non quidem voti obligatione, sed juramenti; quod ceteroquin inducit minorem obligationem quam votum, ut dicit s. Thom. (4); ita Sanch. Valent. et Lopez. Et in dubio an iste voluerit se obligare necne ambobus vinculis voti et juramenti, non intelligitur voto adstrictus, ex regula communiter accepta a dd. quod votum dubium non obligat (2).

48. Dubitatur 2. An cum commutetur votum reservatum, remaneat reservata etiam materia commutata? Alii affirmant; sed est communis sententia opposita, quia licet materia commutata secum afferat eandem obligationem primi voti, nihilominus cum non sit ipsa ex se reservata, neque inducit reservationem, quæ est addicta dumtaxat primæ materiæ (3).

49. Dubitatur 3. An votum pœnale, aut conditionatum in futurum castitatis, religionis, aut trium pere-

grinationum sit reservatum? Respondetur cum sententia probabiliori Tolet. Castropal. Prad. Salmant. Sanc., etc. negative, quia hujusmodi vota non procedunt ab affectu absoluto erga virtutem. Secus tamen dicendum, si votum fuerit factum ob merum affectum ad virtutem, et conditio tantum apponitur, ut votum valeat eo tempore, quo judicatur sublatum fuisse impedimentum, quominus possit observari, v. g. cum aliquis voveret religionem sub conditione *si mater obierit*: nam ille tunc revera movetur jam ad votendum a desiderio perfectionis; sed quia non potest illud exequi, ne matrem derelinquat, ideo apponit conditionem, quæ in rigore non est conjunctio conditionalis, sed potius adverbium temporis significans *quando* (4).

50. Dubitatur 4. An Papa possit dispensare in votis clericorum in Sacris, et Religiosorum? Quo ad clericos probabilius est cum s. Thoma et communiori, quod possit; modo adsit causa urgentissima (5). Dictum est clericorum, sed non jam sacerdotum, ut vult communis sententia (6). Et sicut potest cum clericis, ita etiam probabilius est posse cum Religiosis (7).

## TRACTATUS VI.

### DE TERTIO PRÆCEPTO DECALOGI

#### CAPUT I.

DE OBLIGATIONE TERTII PRÆCEPTI MEMENTO ETC.

1. An hoc præceptum hodie sit ecclesiasticum, an divinum, et an obliget infidèles.
2. Qui peccat die festo, etc.
3. Quis potest instituere festa.
4. Obligatio concionem auscultandi.
5. Obligatio concionandi.
6. Quinam pueri, etc.

1. Antequam progrediamur ad videndas obligationes particulares, quas hoc tertium præceptum inducit, plura

(1) 2. 2. q. 89. a. 8. — (2) L. 3. n. 259. v. in dubio. — (3) L. 3. n. 260.

prænotanda sunt. Et i. quod tertium præceptum, quoad debitum honorandi Deum in aliquo vitæ tempore per aliquem cultum, illud erat, et est divinum, et naturale. Sed quoad tempus præscriptum die sabbati in veteri Lege, et dominica in nova, erat cæremontale, et nunc est ecclesiasticum, juxta communem s. Antonini, Navar. Azor. Suar. Cajet. Sanchez, Salmant. Carden. et aliorum cum s. Thoma (8), et Catechis.

(4) N. 261. — (5) L. 6. n. 1059. — (6) Ibid. (7) — L. 3. n. 256. v. Quaritur. — (8) 2. 2. qu. 122. a. 4. ad 1. et 4.

rom. (1). Stante hoc infertur, quod quamvis Ecclesia non possit generaliter dispensare huic obligationi exhibendi Deo aliquem cultum, potest nihilominus mutare, et etiam dispensare observantiam dominicæ, et aliorum festorum assignatorum, ut patet ex cap. *Licet de feriis* (2). Ex hoc infertur etiam probabile esse, vetitum non esse imponere opera servilia infidelibus, qui sunt extra, ideoque non subditi Ecclesiæ.

2. Notandum 2. Quod juxta sententiam etiam communem s. Thomæ (3), s. Antonini, Soti, Coninch., Sanch., Salmant., Covar., Bonac., Fillic., etc. in hoc tertio præcepto desideratur, sed non imponitur cultus internus per actus charitatis et contritionis, ut volunt aliqui. Tantummodo præcipitur cultus externus audiendi Missarum, et abstinendi ab opere servili in diebus festis: etenim licet sanctificatio animæ sit finis præcepti, attamen finis præcepti non cadit sub præcepto, ut docet communis sententia cum s. Thoma (4), qui ait: *Non enim idem est finis præcepti, et id de quo receptum datur*. Et id confirmat Catechismus rom. (5) dicens: *Hoc legis præcepto externus ille cultus, qui Deo a nobis debetur, præscribitur*. Et hac ratione cum laudato s. Thoma (6) et communi Nav., Soto, Silvest., Cajet., Suar., dicimus verum non esse (uti volunt aliqui) die festo peccantem duplex committere peccatum (7).

3. Notandum 3. Episcopus posse festos in honorem alicujus Sancti (non vero Beati) statuere, ut habetur ex cap. *Conquestus de fer.*, modo sint consentientes clerus et populus (8).

4. Notandum 4. In diebus festis (ex se loquendo) non adesse obligationem concioni interesse, nam in cap. Sa-

(1) 3. prin. 3. præcept. dec. n. 6. et 19. — (2) L. 3. n. 263 et 265. — (3) 2. 2. q. 122. a. 4. — (4) L. 2. qu. 100. a. 9. ad 2. — (5) Part. 3. de tertio præcepto n. 4. — (6) In 3. sent. dist. 37. q. 1. a. 5. q. 2. ad 1. — (7) L. 3. n. 273. — (8) N. 266.

cerdotes, dist. 1. de consecr. aliud non præcipitur, nisi ut episcopi et parochi in dominicis et solemnioribus festis sermocinentur per se, vel per alios idoneos et ut in quadragesima saltem ter in hebdomada habeant concionem, cum ibi subjungitur: si ita oportere duxerint, Dictum est, *ex se loquendo*, cæterum rudes, qui Mystéria principalia, aut res necessarias saluti ignorant, utique ipsi tenentur concioni interesse, aut potius catechismo (9).

5. Hic advertere juvat a Tridentino sess. 3. c. 2. de ref. imponi episcopis, ut concionentur diebus dominicis et solemnioribus per se, vel per alios, si ipsi impediti fuerint. Hanc ipsam obligationem (quæ procul dubio est gravis, pariter imponi parochis legimus his verbis: *Ut plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ammonendoque cum brevitate, et facilitate sermonis vitia quæ eos declinare et virtutes quas sectari oporteat*. Ex quo rationaliter dicunt Barbosa, Salmant. et Rone. graviter peccare parochum, qui per integrum mensem, aut per tres interruptos omittit concionari (10). Hoc tamen procedit de parochis, non autem de episcopis, qui ex consuetudine communi legis interprete, non tenentur tam frequenter prædicare, ob tot negotiorum genera quæ expedire debent, et aliis facile committere nequeunt, ut committi potest munus concionandi: cui jam episcopis posse per alios, si ipsi impediti fuerint, a Concilio permittitur satisfieri (11).

6. Notandum 5. Huic tertio præcepto teneri omnes fideles usu rationis pollentes, qui quidem ordinarie septennio adipiscitur. An autem pueri qui ante septennium pervenerint ad discretionis ætatem, teneantur? Vide quidquid dictum est *Tr. 2. n. 37.*

(9) N. 308. — (10) n. 269. — (11) L. 4. n. 127. dubit. 3. v. Hinc.

## CAPUT II.

DE ABSTINENTIA AB OPERIBUS SERVILIBUS  
PUNCTUM I.*De operibus prohibitis in die festo.*

7. Opera servilia, liberalia, et communia.  
8. Liberalia facia ob lucrum.  
9. Transcribere.  
10. Pingere.  
11. Venatum et piscatum ira.  
12. Opera forensia.  
13. Nundinae, venditiones et contractus.

7. Tria genera operum ab auctoribus distinguuntur. Opera corporis, quæ a corpore exercentur, et ad corporis utilitatem ordinantur, ut sunt fodere, suere, et similia; et hæc dicuntur servilia, quia a servis dumtaxat exercentur. Opera animæ, quæ ab anima principaliter procedunt, et ad mentis culturam spectant, ut legere, studere, sonare, etc. et hæc liberalia dicuntur, quia a liberis solent fieri. Denique opera communia, seu media sunt, quæ promiscue tum a servis, tum a liberis exercentur, ut iter facere, venari, etc. Itaque festis tantum opera servilia sunt prohibita, non vero liberalia et communia (1).

8. Quare permissum est studere, docere, scribere, canere, sonare, et hujusmodi: et hoc etiam lucri causa, ut dicunt Soto, Navar., Suar., Salmant. (contra alios) ex s. Thoma (2) qui sic docet: *Nullius spiritualis actus exercitium est contra observantiam sabbati, puta si quis doceat verbo, vel scripto.* Nam intentio agentis non potest operis naturam ex liberali in servile mutare (3).

9. Ita pariter probabiliter permissum est transcribere scripturas: Suar. Bonac., Salm., Sa, Castropal., etc. communissime, quia tam scribere, quam transcribere ordinatur ad mentis instructionem: Ideoque plures dd. admittunt etiam notas musicales, et computationes exscribere, et etiam characteres typographicos ordinare, non autem folia imprimere (4).

(1) L. 3. n. 272. — (2) 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. — (3) L. 3. n. 278. v. Quæst. 4. — (4) N. 279.

10. Pingere communius volunt dd. esse opus servile, hoc enim requirit actionem materialem. Sed opposita sententia non est improbabilis, uti dicunt Laym., Sa, Castrop., Ronc., Aucl., Holzman, etc. dum pingere (modo non sit labor notabilis in præparandis coloribus et tabulis edolendis) videtur etiam potius opus liberale quam servile, cum magis in eo mens operetur, quam manus. Saltem est dubium sitne liberale an servile; et si non est liberale, saltem est opus commune, cum id exercitium tam a liberis quam a servis facilius. Sculptura autem nemo dubitavit quin sit ars servilis (5).

11. Venari autem sclopeto, vel reti, alii tenent esse servilia; sed communior et probabilior sententia negat licet lucri gratia id ageretur. Servile potius videtur piscari, cum magna defatigatio adesset; alias non opus fuisset Pontificis dispensatione in hælécum piscatione; ut habetur cap. 3. de feriis. Piscatio autem, si moderato labore fiat, probabiliter excusatur ex consuetudine, ut dicunt Castrop., Filliuc., Sanch., Holzman, etc. (6).

12. Præter opera servilia in festis sunt prohibita etiam forensia; sub horum nomine intelliguntur primo omnes actus, qui ad forum spectant circa causarum decisiones, ut sunt citatio partium, compilatio processus, examen testium, sententiam proferre, aut eam executioni mandare. Hujusmodi igitur opera prohibentur in festis; modo necessitas aut pietas aliter non exoptulet, ut præscribitur cap. ult. de feriis. At vero non est prohibitum excommunicare, dispensare, aut aliud jurisdictionis exercitium, quod judiciali strepitu non indiget (7).

13. Sub nomine forensium intelliguntur 2. prohibita nundinae modo non fiant de rebus necessariis usui quotidiano, ut sunt cibi, et potationes; et etiam candelæ, calceamenta, et similia, quorum pretium est de-

(5) N. 280. — (6) N. 283. — (7) L. 3. a. 284. et 287.

terminatum. Cæterum hodie ex consuetudine permittuntur nundinae universales (et alicubi etiam particulares), et ita etiam aliarum rerum venditiones, exceptis iis quæ in publicis officinis venduntur, ut dicunt Nav., Sanch., Castrop., Salmant., La-Croix, etc., nam hæc tantum prohibita sunt a lege canonica ratione scandalii (1). Item permittunt dd. etiam mercatoribus vendere aliquid clausis januis, cum emptores pro tunc iis valde indigerent (2). Ita etiam ex consuetudine pluribus in locis permittuntur (saltem ex licentia generali Ordinarii) contractus locationum, permutationum, negotiationum et hujusmodi, quæ strepitum judicialem non requirunt (3).

## PUNCTUM II.

*De casibus quibus permittuntur opera servilia die festo.*

14. I. Excusant dispensatio Papæ, aut Episcopi, aut parochi.  
15. II. Consuetudo.  
16. 17. III. Pietas.  
IV. Charitas.  
18. ad 21. V. Necessitas.  
22. An propter magnum lucrum, etc.  
23. Ut evitetur otium.  
24. VI. Utilitas.  
25. VII. Parvitas materiæ.  
26. Qui imponit opus decem servis, etc.

14. Hæc causæ sunt I. *Dispensatio* Papæ pro tota Ecclesia aut Episcopi pro sua diocesi, aut vicarii capitularis, sede vacante (non autem vicarii Episcopi); modo adsit justa causa, loquendo de festis communibus; aut prælati regularis respectu suorum religiosorum, aut domesticorum. Parochi possunt etiam dispensare (etiam præsentate Episcopo) in casu particulari, sed tantum ad tempus, et in iis in quibus consuevit permittit eis dispensare, nempe in jejuniis et laborando die festo, ut communiter testantur Suar., Sanch., Viva, Salm., Spor., etc. (4).

15. II. *Consuetudo.* Propterea ex-

(1) N. 285. et 286. — (2) N. 303. v. 44. — (3) N. 286. v. An autem. — (4) L. 3. n. 288.

cusantur qui vehuntur sella gestatoria ab hominibus conducta (5). Ducere vehicula, vel animalia rebus onusta, Roncagl., Viva, Salm., Mazzotta (6) Irrigare olera, vertere aut separare segetes (7). Ita etiam ex consuetudine permissum est die festo animalia occidere, et ea excoriare, cum die præcedenti id fieri nequit, ut accidit in frequentioribus civitatibus, non autem in oppidis, nisi esset tempore æstivo, aut plura festa concurrerent. Ita etiam ex consuetudine permittitur molere frumentum (8). Et ita pariter licitum est cibos parare, et coquere, licet superflui sint: Azor., Castrop., Viva et Mazzotta, etc. (9). Ita etiam calceamentis novis aliquem calceare, et barbam tondere; ita circa barbam tondendam aliqui dd. dicunt adesse consuetudinem ubique; alii dubitant. Cæterum probabiliter dicunt alii universaliter permitti rusticis tonderi in festo; quia hic dies tantum illis, ut tonderi possint, vacat; et dicunt etiam posse excusari tonsores, si eis renuentibus tondere diebus festis, notabilis lucri jactura facienda esset (10). Plures auctores dicunt dubiam consuetudinem non posse excusare, bene vero probabilem, prout si attestaretur ab aliquo doctore eximio: ita Salm., Salas, Granado, Viva, Mazzotta, etc. (11). His positus mihi lubet hic afferre quid s. Carolus Borromæus in 1. et 3. conciliis mediolanensibus pro venditoribus rerum victui necessariorum, et pontifex Bened. XIV. cum esset Archiepiscopus Bononien. (12) tam pro dictis venditoribus, quam barbitonsoribus statuerint, ut præscriberetur hora, qua claudendæ essent hujusmodi tabernæ, propterea præfatus Pontifex jussit affigi tabellam horarum, quibus pro temporum varietate ad signum campanæ majoris statim illæ claudi deberent. O utinam hoc ubique ab Episcopis fieret! utique non videren-

(5) N. 275. — (6) N. 276. — (7) N. 290. — (8) N. 277. — (9) N. 298. — (10) N. 290. — (11) Ibid. v. Notandum. (12) Notificat. 43.

tur homines penitus suæ salutis tam immemores, ut vix semel in anno, et quasi inviti ad Sacramenta accedant, numquam verbo Dei, quod est Christi ovium alimentum, ab eis audito.

16. III. *Pietas*. Qua de re permittuntur opera quæ proxime spectant ad cultum divinum, ut campanarum pulsatio, statuarum delatio in processionibus, et etiam (scilicet ex consuetudine) altaria, et ecclesias ornare, hostias coquere, templa verrere, molem funerariam, vel ad sanctissimi Sacramenti expositionem erigere. Conficere autem tabulata ad invisendas processiones non licet in festo, nisi quando nullum aliud tempus suppetet (1).

17. Hic dubitatur an liceat laborare in festo ad solam pietatem, ut pauperum vestes suere, ecclesiæ agros colere, aut eas ædificare, aut lapides pro illius ædificio adferre. Alii hoc permittunt, quia in *cap. Conquestus de fer.* jam permittuntur opera forensia, si necessitas, vel pietas suadeat; propterea idem putant posse dici de operibus servilibus, in æquiparatis enim, *ubi currit eadem ratio, eadem est legis dispositio*. Alii tamen probabilius id negant, nisi adsit actualis et gravis necessitas, aut nisi adsit licentia Episcopi: quia opera prædicta tantum remote concurrunt ad cultum divinum. Cæterum dicunt Salmantic. cum Suar., Soto, Cajet., Castropal., Sanch., Bonac., Trullench., etc. quod nostra hac tempestate cum loca pia quasi omnia egeant, bene posse exerceri prædicta opera, ut eis succurratur (2). IV. *Charitas*; ideoque permittuntur agi causæ pauperum, eis opitulari etc. (3).

18. V. *Necessitas* propria vel aliena animæ vel corporis: si nimirum sine gravi incommodo aut detrimento aliquid omitti non possit. Ideoque possunt excusari servi et famuli etc. si coacti dominis laborare metu gravis incommodi, v. gr. ne dimittantur, (1) L. 3. n. 291. et 292. — (2) N. 293. — (3) N. 294.

sine spe faciliter et brevi inveniendi cui serviant. Idem dic de uxoribus, et filiis coactis a patre ad laborandum. Suar., Azor., Palud., Salmant., etc. (4). Ita etiam excusantur pauperes, quibus die festo laborandum est pro seipsis ad sui et familiæ alimentationem, ac pariter ut resarciant vestes proprias aut consanguineorum (5).

19. Ratione etiam necessitatis permittitur laborare pharmacopolis, vitri, et ferri conflatoribus, laterum et calcis coctoribus, et quibuscumque quorum opus semel ceptum non potest interrumpi sine damno (6). Ideoque etiam permittitur equos calcare itinerantium, reficere vomeres eorum quibus aliter die sequenti cessandum esset a labore, reficere vias et pontes, fontes etc. (7). Ita pariter licitum est sartoribus (si aliud non suppetat tempus) veste suere pro nuptiis aut faneribus, et similibus; puta si exterus indigeret vestibus juxta loci ubi reperitur decentiam, aut si alii expectarent vestes promissas, quas si non exhiberent, ipsi magnum detrimentum subituri essent. Idem valet pro calceamentariis (8).

20. Permittitur etiam pistoribus publicis panem conficere diebus festis, tam ob consuetudinem, quam ob populi necessitatem; dum semper adest periculum, ne ob quamlibet panis penuriam populus commoveatur. An consuetudo permittat omnibus indiscriminatim hisce diebus panem conficere, merito Tamburinus dubitat, nisi accideret concursus plurium festorum, et panis antea coctus edendo minus aptus redderetur; aut si panis esset necessarius pro illo die. Et idem dicimus de *pastillis*, sive artolaganis (9).

21. Ita pariter, ut evitetur damnum, permittitur colligere fruges, aut fœnnum, et (saltem ex consuetudine) etiam fructus, quamvis non necessarios usui illius diei, ut melius serventur, præcipue si est periculum pluviae (4) N. 296. — (5) N. 297. — (6) L. 3. n. 300. — (7) Ibid. — (8) N. 303. — (9) N. 299.

imminentis, ideoque in multis regionibus solent colligi quibuscumque diebus olivæ, castaneæ, aut alii fructus silvestres. Communiter licent quælibet opera, quæ sunt necessaria usui quotidiano familiæ, ut verere domum, lectos sternere, utensilia culinaria lavare, etc. (1).

22. Dubitatur 1. An factura magni lucri possit excusare laborantem die festo? Multi negant, ut Salmanticens., Roncaglia, etc., quia dicunt aliud esse damnum pati, aliud lucrum non facere. Sed multi alii dd. etiam graves, ut Suar., Castrop., Cajet., Sanch., Navar., Armilla, Holz., Bonac., Viva, Elbel, Mazzotta, etc. probabiliter excusant, quia ex *L. vi. c. de Senterit.* lucrum non facere magnum æquiparatur gravi damno. Saltem hac in circumstantia dici potest præceptum festorum, quod est humanum, cum tanto incommodo hand obligare (2). Eademque ratione multi dd. excusant etiam a Sacro; ita Suar., Castrop., Mazzotta, etc. Contra tamen nescio approbare opinionem nonnullorum dicentium, posse sabbato proficisci aliquo venatum, licet prævideat Dominica omisurum Missam. Aliter tamen dicunt multi aa. de eo qui proficisceretur die Jovis: et aliter de iis qui ex officio iter agunt, aut merces vehunt (3).

23. Dubitatur 2. An liceat laborare in festo ad evitandum otium? Alii dd. id negant; alii affirmant ut, Laym., Silv., Sa, Mazzotta, etc. quando quis alias esset in periculo peccandi; nam (dicunt) si excusatur necessitas, quæ corporis commodum respicit, tanto magis debet excusare necessitas, quæ animæ bono conducit. Hanc sententiam puto probabilem in solo casu quo tentatio non possit alio modo superari, nisi se labori applicando; sed hic casus nescio

(4) N. 298. v. Permittunt. — (2) L. 3. n. 304. cum Castrop. tr. 3. de leg. d. 5. p. 3. §. 2. n. 3. et Suar. eod. tit. l. 6. c. 7. ex n. 9. (3) L. 3. n. 304. v. Ob eandem. —

an moraliter possit accidere, saltem erit rarissimus (4).

24. VI. Excusatur *utilitas* publicæ lætitiæ, aut splendoris; quapropter licet in victoriis, natalitiis, vel adventibus principum theatra constituere, vestes conficere, ignes accendere, etc. modo hæc præveniri non potuissent; dum consuetudo permittit hujusmodi res, cum sint signa lætitiæ moraliter necessaria ad populi pacem (5).

25. VII. *Parvitas materiæ* excusatur saltem a mortali. Sed hic quaeritur 1. quanam in hoc sit gravitas materiæ, alii ponunt tres horas, sed hæc opinio est nimis laxa. Alii unam horam, et hæc est nimis rigida, alii communius duas horas, et multi alii aliquid amplius, nempe duas cum dimidia, ut Valentia, Granada, Henricq., Bas. La-Croix, etc. cum Viva, qui asserit hanc esse communioem; imo Viva et Mazzotta dicunt excusare etiam longius hoc temporis spatium, si intercedat aliqua necessitas, quæ alioquin non sufficeret ad excusandum (6).

26. Qu. 2. An peccet graviter dominus qui imponit decem servis laborem mediæ horæ? Si labor impositus eodem tempore exercetur, ex communi sententia non peccat graviter. Dubium restat an si successive? Alii volunt peccare mortaliter, nihilominus communior est opposita cum Sanch., Bonac., Salmant., Roncag., Trullench., Viva, etc. quod non excedit veniale, et est satis probabilis, nam hujusmodi dominus non potest amplius peccare quam ipse servi, quorum nemo pro eo labore peccat graviter. Secus esset si dominus eidem servo præciperet pluries intra eundem diem laborare, quia illæ plures vices coalescunt ad constituendam materiæ gravem (7). Advertatur hic denique quod in operibus forensibus gravitas materiæ non tam desumitur a quantitate temporis quam a quantitate operis.

(4) N. 302. — (5) N. 304. — (6) N. 305. — (7) Lib. 3. n. 306.